

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Epitome libri secundi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1233)

EPITOME
LIBRI SECUNDI LIVIANI

BRUTUS jurejurando populum adstrinxit, neminem regnare Romæ passurum; Tarquinius Collatinum, collegam suum, propter adfinitatem Tarquiniolorum suspectum, coëgit consulatu se abdicare, & civitate cedere: bona regum diripi jussit: agrum Marti consecravit, qui Campus Martius nominatus est: adolescentes nobiles, in quibus suos quoque & sororis filios, quia conjuraverant de recipiendis regibus, securi percussit: servo indici, cui Vindicio nomen fuit, libertatem dedit; ex cujus nomine vindicta est adpellata. Quum adversus reges, qui, contractis Veientium & Tarquiniensium copiis, bellum intulerant, exercitum duxisset, in acie cum Arunte, filio Superbi, commortuus est: eumque matronæ annum luxerunt. P. Valerius consul legem de provocatione ad populum tulit. Capitolium dedicatum

est. *Porfena*, rex *Clusinarum*, bello pro *Tarquiniis* suscepto, quum ad *Janiculum* venisset, ne *Tiberim* transfiret, virtute *Coclitis Horatii* prohibitus est: qui, dum alii pontem *sublicium* rescindunt, solus *Etruscos* sustinuit, & ponte rupto, armatus se in flumen misit, & ad suos tranavit. Alterum accessit virtutis exemplum a *Mucio*: qui, quum ad feriendum *Porfenam* castra hostium intrasset, occiso scriba, quem regem esse putabat, comprehensus, inpositam altaribus manum, in quibus sacrificatum erat, exuri passus est; dixitque, tales trecentos esse conjuratos in mortem ipsius regis. Quorum admiratione coactus *Porfena* pacis conditiones ferre, bellum omisit, acceptis obsidibus, ex quibus virgo una *Clælia*, deceptis custodibus, per *Tiberim* ad suos tranavit: &, quum redita esset, a *Porfena* honorifice remissa, equestri statua donata est. Ap. *Claudius* ex *Sabinis* Romam transfugit: ob hoc *Claudia* tribus adjecta est. Numerus tri-

buum ampliatus est, ut essent viginti
 una. Adversus Tarquinium Superbum,
 cum Latinorum exercitu bellum inferen-
 tem, A. Postumius dictator prospere pugna-
 vit apud lacum Regillum. Plebs, quum
 propter nexos ob æs alienum sacrum in
 montem secessisset, consilio Menenii Agrip-
 pæ a seditione revocata est. Idem Agrippa,
 quum decessisset, propter pauperiam pu-
 blico impendio elatus est. Tribuni plebis
 quinque creati sunt. Oppidum Volscorum
 Corioli captum est virtute & opera C.
 Marcii, qui ob hoc Coriolanus vocatus
 est. Ti. Atinius, vir de plebe, quum in
 visu admonitus esset, ut de quibusdam
 religionibus ad senatum perferret, & negle-
 xisset, amisso filio, debilis factus, post-
 quam, delatus ad senatum lectica, ea-
 dem illa indicaverat, usu pedum recepto,
 domum reversus est. Quum C. Marcius
 Coriolanus, qui in exsilium erat pulsus,
 dux Volscorum factus, exercitum hostium
 arbi Romæ admovisset, & missi ad eum

primum legati, postea sacerdotes frustra
 deprecati essent, ne bellum patriæ infer-
 ret; *Veturia* mater & *Volumnia* uxor
 inpetrauerunt ab eo, ut recederet. Lex
 agraria primum lata est. *Sp. Cassius*
 consularis regni crimine damnatus est ne-
 catusque. *Oppia*, virgo *Vestalis*, ob in-
 cestum viva defossa est. Quum vicini
 hostes *Veientes* incommodi magis, quam
 graves, essent, familia *Fabiorum* id bel-
 lum gerendum depoposcit; misitque in id
 trecentos sex armatos, qui ad *Cremeram*
 ad unum ab hostibus cæsi sunt, uno in-
 pubere domi relicto. *Ap. Claudius* consul,
 quum adversus *Volscos* contumacia exer-
 citus male pugnatum esset, decimum quem-
 que militum fuste percussit. Res præterea
 adversum *Volscos* & *Æquos*, & *Veien-
 res*; & seditiones inter *Patres* plebemque
 continet.